

# Kreis Paderborn

S. 152

1198. Schloß Brunsberg (bei Hörter).

[32]

Abt Widekind von Corvey beurfundet den Verkauf von 2 Mansen in Suitwardessen (?)<sup>1)</sup> durch die Brüder v. Dstheim an das Kloster Hardehausen.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Widekindus Dei gratia Corbeiensis abbas. Quoniam pleraque praedecessorum sollerti industria firmata cavillantium posteriorum nititur subvertere calumnia, contractui in praesentia nostra celebrato omnem occasionem doli amputare cupientes, notum facimus universis in Christo fidelibus, quod dominus Harmannus sacerdos et fratres sui Henricus et Johannes milites de Osthem duos mansos in Suitwardessen(!), qui ad ipsos legitima successione devoluti erant et iure proprietatis possederunt, coenobio in Hersuithehusen temporibus domini Nicolai eiusdem coenobii abbatis pro XVI marcis et dimidia examinati argenti vendiderunt. Verum ut nulla ambiguitas et contradictio praedictam venditionem disturbare valeat, nobis praesentibus et auctoritatem contractui praestantibus omnes eorum haeredes atque cohaeredes adhibito necessario consensu omni iuri quod eis de praedictis mansis spe vel re competere posset in integrum renunciaverunt, sufficientes quoque cautiones nobis praestiterunt, quod de praedicto argento bona compararent praedictorum bonorum conditionem habentia. Huius ergo facti seriem praesenti instrumento commendatam sigilli nostri impressione firmamus et testium subscriptione corroboramus. Sunt autem testes Frethericus de Peremunt, Frethericus de Sauenbeke, Theodericus comes, Wasmodus marscalcus, Karolus de Nienbicken, Henricus de Luitmarsen, Henricus de Scerve, Heriboldus de Rimbeke, Godefridus de Butdickerthorpe. Acta sunt haec anno incarnationis domini MCXCVIII, indictione prima, in castro Brunerberche.

VII, 52<sup>v</sup> sq. Collatum cum suo originali 1662 Mart. 4. Siegel unversehrt.

<sup>1)</sup> Schoene, Hardehausen S. 89 u. 99: Luitwardessen = Luthardecken (?) bei Beckelsheim. Schoene S. 93. Zeitschr. 38<sup>II</sup>, S. 110. 180.